QUODVULTDEUS. MARBODUS REDONENSIS. AMBROSIUS MEDIOLANENSIS. AUGUSTINUS
Ende 12. Jh. Seite 109r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36565
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

In cipit tractat beati augustini epi. ex epistolis beati iohannis. capitulum primum. 94

MEMINIT sanctitas uestra euangelium secundum iohannem ex ordine lectionum nos solere tractare. sed quia nunc interposita est sollemnitas sexdecim dierum. quibus certas ex euangelio lectiones oportet mecum recitari. quae ita sunt annuae ut aliae esse non possint. ordo illae quae suscepe ram necessitate paululum interrumpitur. non amittitur. Cum autem cogitare quid secundum hilaritatem praesentium dierum phanc ebdomada uobiscum de scripturis agere. quantum dominus donare dignetur quid possit in istis septem ut octo diebus finiri occurrit in epistola beati iohannis. ut cum euangelium paululum interrumpimus eam epistolam tractando abeo non recedamus. praesertim. quia in ipsa epistola satis dulcis omnibus quibus sanum est palatum cordis ubi sapiat panis dei. et satis memorabili insecta ecclesia dei maxime caritas commendatur. Locutus est multa. et prope omnia de caritate. Qui habet in se unde audiat. necesse est gaudeat ad quod audit. Sic enim erit lectio ista tamquam oleum in flamma. si est ibi quo nutriatur. nutritur. et crescit. et permanet. Intus quibusdam sic esse debet tamquam flamma ad fomitem. ut si non ardebat accedente sermone accendatur. In quibusdam enim nutritur quod est. in quibusdam accenditur si desit. ut omnis in una caritate gaudeamus. Ubi autem caritas ibi pax. et ubi humilitas ibi caritas. Iam ipsum audiamus. et ad eum uerba quae dominus suggerit et iam nobis ut bene intelligamus loquitur. Quod erat ab initio. et quod audiuimus. et quod uidimus oculis nostris. et manus nostre tractauerunt de uerbo uite.

QUIS est qui manibus tractet uerbum. nisi quia uerbum caro factum est. et habitauit in nobis. Hoc autem uerbum quod caro factum est ut manibus tractaretur cepit esse caro ex uirgine maria. si non tunc cepit uerbum. quia quod erat ab initio dixit. Videte si non adtestatur epistola sua euangelio suo ubi modo audistis. in principio erat uerbum. et uerbum erat apud deum. forte autem uerbum unde. quisque accipiat. quasi locutionem quandam de xpo. non ipsum corpus xpi quod manibus tractatum est. Vide quid sequatur. et ipsa uita manifestata est erat enim ab initio. si non erat manifestata hominibus. Manifestata autem erat angelis uidentibus. et tam